

nitudinem minuimus, alterā verò retractio fit à capite & fau-
cibus. Quodsi sanguinis non adsit abundantia, in tām præ-
cipiti suffocationis periculo, statim ad cephalicam aperien-
dam nos accingamus.

§. 4. Animadvertisendum insimul, quamnam partem in-
flammatio magis afficiat, tunc enim ea in cubito eligenda
vena, quæ partem affectam respicit, & cum eā communicat.

§. 5. Si in fœminis ex suppressione mensium contracta fu-
erit angina, secabimus venam in pede, ut hāc ratione non fo-
lum revulsio fiat à faucibus, sed & consuetam evacuationem
menstruam revocemus.

§. 6. Quæ autem venarum primo loco sit aperienda, ea-
ne quæ in cubito, an verò quæ in talo? de eo pariliter inter
Medicos controvertitur. Sententiam beatissimi D. Sennerti
amplectimur, qui distinctione hic opus esse scribit, ita, ut si
periculum non urgeat, ex poplite vel talo sanguis primò mit-
tatur, ut rētentio menstruorum solvatur, & sanguis à fauci-
bus ad partes distantes retrahatur: sin affectus valde urgeat,
& suffocationis metus præstò sit, mox in brachio vena per-
cutiatur.

§. 7. In obstruktione hæmorrhoidum idem tentandum
per hirudinum appositionem, vel alia fluxum intermissum
restituentia.

§. 8. In gravidis anginosis detractionem sanguinis ipsa
urget necessitas, ideoque & istis vena in cubito secanda erit.
*Hoc auxilium, inquit Heurnius, etiam adhibendum in gravidatis
mulieribus, postremis quoque mensibus, sed ad trium vel quatuor un-
ciarum molem. Hoc citra injuriam fætūs & fætæ fieri.*

§. 9. In anginis malignis & epidemiis rerū aliter se habe-
re, annotat Wierus loco allegato, ubi de universali hocce reme-
dio verba faciens ita scribit. Universales corporis evacuationes,
quæ præstantur aut pharmaci purgantis adsumptione, aut phleboto-
mia usurpatione, plus læsionis quam emolumenti inferebant: nisi quod
in principio cucurbitulas sine scarificatione humeris collo proximis in
teneriori aente affixas juvissè, & in aliis sanguinis ex lingue venulis

ex-